

CLASSICS PART IB, LATIN LANGUAGE

LENT TERM, WEEK 1

1. Translate:

Pyrrhus (a.k.a. Neoptolemus), son of Achilles, avidly seeks out Priam.

vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus
exsultat telis et luce coruscus aena:

qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,
frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
nunc, positis nouus exuuiis nitidusque iuuenta,
lubrica conuoluit sublato pectore terga
arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.

una ingens Periphas et equorum agitator Achillis,
armiger Automedon, una omnis Scyria pubes
succedunt tecto et flammis ad culmina iactant.

ipse inter primos correpta dura bipenni
limina perrumpit postisque a cardine uellit
aeratos; iamque excisa trabe firma cauauit
robora et ingentem lato dedit ore fenestram.

apparet domus intus et atria longa patescunt;
apparent Priami et ueterum penetralia regum,
armatosque uident stantis in limine primo.

at domus interior gemitu miseroque tumultu
miscetur, penitusque cauae plangoribus aedes
femineis ululant; ferit aurea sidera clamor.

tum pauidae tectis matres ingentibus errant
amplexaeque tenent postis atque oscula figunt.

instat ui patria Pyrrhus; nec claustra nec ipsi
custodes sufferre ualent; labat ariete crebro
ianua, et emoti procumbunt cardine postes.

fit uia ui; rumpunt aditus primosque trucidant
immissi Danaei et late loca milite complent.

(Virgil)

2. Prepare:

In the Punic Wars (Rome vs. Carthage) the Carthaginians have split into two factions (pro-Roman and pro-Carthaginian). Masinissa, victorious king of the Numidians (the pro-Roman tribe) has unwittingly fallen in love with Sophonisba, the wife of Syphax (defeated king of the other tribe). Scipio, commander of the Romans, has discovered this, and has angrily ordered Masinissa to hand over Sophonisba to the Romans. Masinissa finds a way to do his duty to both commander and wife.

Masinissae haec audienti non rubor solum suffusus sed lacrimae etiam obortae; et cum se quidem in potestate futurum imperatoris dixisset orassetque eum ut quantum res sineret fidei suae temere obstrictae consuleret – promisisse enim se in nullius potestatem eam traditurum – ex praetorio in tabernaculum suum confusus concessit. ibi arbitris remotis cum crebro suspiritu et gemitu, quod facile ab circumstantibus tabernaculum exaudiri posset, aliquantum temporis consumpsisset, ingenti ad postremum edito gemitu fidum e seruis unum uocat, sub cuius custodia regio more ad incerta fortunae uenenum erat, et mixtum in poculo ferre ad Sophonibam iubet ac simul nuntiare Masinissam libenter primam ei fidem praestaturum fuisse quam uir uxori debuerit: quoniam eius arbitrium qui possint adimant, secundam fidem praestare ne uiua in potestatem Romanorum ueniat. memor patris imperatoris patriaeque et duorum regum quibus nupta fuisset, sibi ipsa consuleret.

hunc nuntium ac simul uenenum ferens minister cum ad Sophonibam uenisset, 'accipio' inquit 'nuptiale munus, neque ingratum, si nihil maius uir uxori praestare potuit. hoc tamen nuntia, melius me morituram fuisse si non in funere meo nupsissem.' non locuta est ferocius quam acceptum poculum nullo trepidationis signo dato impauide hausit. quod ubi nuntiatum est Scipioni, ne quid aeger animi ferox iuuenis grauius consuleret accitum eum extemplo nunc solatur, nunc quod temeritatem temeritate alia luerit tristiolemque rem quam necesse fuerit fecerit leniter castigat. postero die ut a praesenti motu auerteret animum eius, in tribunal escendit et contionem aduocari iussit. ibi Masinissam, primum regem appellatum eximiisque ornatum laudibus, aurea corona aurea patera sella curuli et scipione eburneo toga picta et palmata tunica donat.

(Livy)